



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

Cap. 1. De notione Sacramenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

dictum est, irritas esse si per simoniam fiant, ideoque beneficia retineri non posse, sed vna cum fructibus relinquenda esse. Quod verò attinet ad alias res sacras permanentes distinguendum est: Vtrum in iis quidquam spirituale est, tanquam principale se habeat, an verò tanquam accessorium ad prius membrum pertinere videatur, vasa, vestes sacratae, quæ si carius vendantur propter spiritualem consecrationem excessus precii restitui quidem debet, sed contractus validus est, quia vtile per inutile non debet vitari. Ad alterum membrum pertinent reliquiæ, quæ si vendantur ratione spiritualitatis, contractus irritus est, ideoque restituto precio etiam restituendæ videntur reliquiæ, tanquam datæ sub conditione acquirendi precii. Sed hæc sufficiunt, adeoque finem imponimus huic libro de materia Religionis, ex animo optantes, vt omnia ad Dei optimi gloriam cedant, Amen.

LIBER QVINTVS.

TRACTATVS I.

De Sacramentis in communi.

C A P. I.

De notione nominis Sacramenti.

INter varias sacramenti, à sacro deriuati, acceptiones (pro mysterio siue re arcana, Sap. 2. Pro- uerb. 20. Matth. 13. Ephes. 1. 1. Corinth. 13. pro signo rei latentis, siue sacrae Daniel. 2. Apocalip. 17. Ephes.

Ephes. 5.) ea ad propositum nostrum spectat, pro
sacro signo & ceremonia qua homo Deo sacatur
seu initiatur.

C A P. II.

De definitione sacramenti.

Sacramentum est signum visibile, inuisibilis gra-
tiae ad populum Dei sanctificandum, diuinitus
institutum: Vnde hic excluditur omnia sacramen-
talia, prima tonsura, aqua benedicta & variae con-
secrationes, quippe quae instituta non sunt ad sancti-
ficandam hominis perfectam sanctitatem seu iu-
sticiam.

NB. Sacramenta Veteris Testamenti non fue-
runt proprie sacramenta, quia per se ac directe ad
Dei supremam excellentiam contestandam, non ad
homines sanctificandos instituta fuerunt.

Ad rationem sacramenti pertinet, ut habilem in-
stitutionem ac usum habeat, vnde linguae igneae Io-
han. 20. & insufflatio Christi in Apostolos, licet si-
gna fuerint gratiae inuisibilis ad hominis sanctifica-
tionem, tamen proprie sacramenta censi non
debent.

C A P. III.

De discrimine sacramentorum.

Sacramenta nouae legis non tantum gratiae signifi-
catiua, quemadmodum Veteris Testamenti; sed
etiam operatiua sunt gratiae idque ex vi institutio-
nis suae, in quo à veteribus sacramentis differunt.

Post lapsum hominis instituere oportebat sacra-
menta, non ante lapsum quia ante lapsum non indi-
gebat homo iis, quatenus medicina sunt aduersus
pec-